

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0874

0872

0878

0868

0883

0863

0923

0823

0973

0773

0373

Ende

Anfang

301

ignotae erant, quas conflantes militibus stipendia solverunt.
Hujus castri situs talis est: promontorium amplum et latum
mari imminet, munitum naturaliter scopolis ad aquilonem et
occidentem et austrum usque, orientem versus turris est firma,
a templariis primis aedificata (**B**) pro tuitione peregrinorum.
Hujus castelli aedificatio ad hoc utilis fuit, quod conventus
Templariorum eductus de peccatrice et omni spurcitia plena
civitate Acon in hujus castri praesidio resideret usque ad
reparationem murorum Jerusalem.

Anno Domini 1218. praedicabatur continue crux in occidente contra orientales, unde visae fuerunt crucis in coelo
mirabiles in territorio Coloniensi et Trevirensi et commotio
grandis per totam Alemanniam facta fuit propter haec et alia
miracula ad transfretandum. Congregati igitur Theutonici in
maximo numero applicuerunt cum navibus Ptolemaidem sive
Acon in Martio. Post ascensionem autem Domini seperatis
cogonibus et rostratis galeis armatis, Johannes praefatus rex
Jerusalem cum patriarcha et peregrinis et duce Austriae tri-
bus domibus et copiosa multitudine Christianorum inierunt
consilium super exemptione tractatus concilii Lateranensis, in
quo conclusum fuit de militia Christiana intromittenda in ter-
ram Aegypti. Nam in eodem concilio probatum fuit per
expertos, non esse possibile, quod Christiani pacifice Syriae et
terrae sanctae possent dominari, nisi Aegyptus eis esset convicta.
Et hoc rei probavit eventus, quia, quam cito Syria Damasci
confoederata fuit Aegypto sub Almarico rege Jerusalem, sta-
tim in magno periculo stetit regnum Jerosolymitanum, ante
quam confoederationem nemo sancto regno poterat nocere.
Ideo sancti patres in praefato concilio decreverunt, prius
Aegyptum domandam et postea ad terram sanctam et alias
orientis terras properandum. Instructis ergo classibus mense
Majo post dominicam ascensionem praefatus rex Jerusalem Jo-
hannes cum duce Austriae et multitudine fidelium prospero vento
ad portum Damiatae urbis pervenerunt. Porro Damiata civitas
erat maritima, quae alio nomine dicitur Pachneumurus, et muni-
tissima metropolis Aegypti, dives et populosa, mercationibus repleta.

Dum autem in portu Damiatae nostri applicuissent et triduo
in mari exspectassent sequentes quosdam capitaneos, ante

